



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Quod saltus nostra ex Deo est, 24

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

lia tua, Deus Pater & virtus mea: quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? ut qui nunc tibi confiteor ad tempus, ex tunc confitear tibi in æternum. Beatus ero, si fuero admissus ad videndum claritatem tuam. Quis mihi hoc tribuat, ut ad hoc venire permittas me?

2. Scio Domine, scio, & confiteor me indignum, ut intrem sub tectum tuum; sed fac propter honorem tuum, & ne confundas in te sperantem servum tuum. Et quis intrabit sanctuarium tuum, ad considerandas potentias tuas, nisi, si tu aperias? Quis autem aperiet, si tu clauseris? Si enim destruxeris, nemo est qui ædificet. Et si incluseris hominem, nemo est qui aperiat. Si continueris aquas, omnia sicca-buntur. Et si miseris eas, subvertent terram. Si omnia quæ fecisti ad nihilum redigas, quis contradicet tibi? Porro sempiterna bonitas misericordiae tuæ, qua fecisti omnia quæcunque voluisti. Tu nos fecisti; fabricator mundi, rege nos. Tu nos creasti; ne spernas nos, qui opera tua sumus. Et quidem Domine Deus noster, nos lutum & vermiculi, non valemus in tuas æternitates intrare, nisi tu induxeris, qui de nihilo cuncta creasti.

## C A P V T XXIV.

*Quod salus nostra ex Deo est.*

1. **E** Go autem opus manuum tuarum, confitebor tibi in timore tuo, quia  
L non

non in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. Alioquin desperarem, quoniam spes mea tu es, qui creasti me, quoniam non derelinquis sperantes in te. Tu quippe es Domine Deus noster, suavis & patiens in misericordia disponens omnia. Nam si peccaverimus, tui sumus: si non peccaverimus, tui sumus; quoniam apud te sumus computati. Nos enim folium universi, & vanitas est omnino homo vivens, & ventus est vita nostra super terram. Ne irascaris, si cadimus pupilli tui, quoniam tu nosti figmentum nostrum, Domine Deus noster.

2. Num Deus inæstimabilis fortitudinis, contra folium quod à vento rapitur, ostendere vis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris? Num damnabis, Rex Israel æterne, canem unum? Num damnabis publicem unum? Audivimus de misericordia tua Domine, quoniam tu mortem non facis, nec lætaris in perditione morientium. Propter hoc Domine oramus te, ne permittas dominari quod non fecisti, huic creaturæ tuæ, quam fecisti. Si enim doles de perditione, quid te prohibet Domine, qui omnia potes, ne semper læteris de nostra salvatione? Si vis, potes me salvare; ego autem, etsi vellem, non possem. Magna est multitudo miseriarum mearum mecum.

3. Velle quippe mihi adjacet, perficere autem non invenio. Velle quod bonum est non possum, nisi tu velis; nec quod volo possum,

possum, nisi tua potentia me confortet, & quod possum, aliquando nolo, nisi tua voluntas fiat sicut in caelo & in terra. Et quod volo, & possum, ignoro, nisi tua sapientia me illustret. Et si etiam sciam; quandoque volens, quandoque valens, imperfecta & vacua transit sapientia mea, nisi adjuvet vera sapientia tua.

4. In tua autem voluntate cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuae, Domine uniuersorum, principatum tenens omnis carnis; & quaecunque vis, facis, in caelo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. In nobis igitur fiat voluntas tua, super quibus invocatum est nomen tuum: ne pereat hoc nobile plasma tuum, quod creasti propter honorem tuum. Et quis est homo natus de muliere, qui vivat & non videat mortem, & eripiat animam suam de manu inferni? nisi tu solus eripias, vita vitalis omnis vitae, per quem omnia vivunt.

## C A P V T X X V.

*Quod voluntas humana inefficax sit ad bona opera, sine divina gratia.*

**E**T enim jam jam tibi confessus sum, laus vitae meae, Domine Deus meus, virtus salutis meae. Sperabam aliquando in virtute mea, quae tamen non erat virtus. Et cum sic volui currere, ubi magis stare credebam, ibi magis cecidi, factusque sum magis retro, & non ante: & quod credebam consequi, magis elongatum est à me. Sic per multa similia vires meas probas. Cognosco